

Guilielm.
Malmes.
Nejan mýnðep, id est, Novum monasterium. Quod
Ælfredus fundavit, & ad construendum ejusdem officinæ mercatus ab Episcopo terra spatiū, ad unum quemque pedem marcam pondere publico pesitavir. Hoc vero, ut illud vetustius, conjugatis presbyteris possum erat, qui postea miraculo Crucis loquentis, & eorum institutum improbant, à Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi exturbati, & in eorum locum Monachi substituti. Hæc monasteria contiguis parietibus ita vicina erant, ut voces canentium in altero aliis obstreperent, unde cum similitates monachi invicem exercent, quæ postea in inimicitias proruperunt; & aquarum magna vis collecta ab Occidentali porta per devexos vicos defluens ad novum hoc Monasterium stagnaret, aëremque insalubrem exhalareret, post ducentesimum ab ipso conditum annum, templum in Septentrionale urbis suburbium, quod *Hide* dicunt, translatum erat. Vbi Henrico Primo permittente, monasterium amplissimum & pulcherrimum construxerunt monachi, quod paucis interiectis annis, dolo Henrici Blesensis Episcopi Wintoniensis (ut privata loci hujus historiola testatur) misere deflagravit. Quo incendio crux, Danici Canuti donarium, in quod, (ut schidæ habent antiquæ) totius Angliæ annum redditum contulerat, absumpta fuit, Monasterium nihilominus resuscitatum in miram amplitudinem, ut ipsæ ruinae jam loquuntur, ad funestam usque monachorum periodum sensim excrevit. Tunc enim hoc demolitum, & in illud alterum S. Trinitatis, quod Cathedralis est Ecclesia, exturbatis monachis, Decanus, & Præbendarii duodecim sunt inducti. Ad Ecclesiæ Cathedralis orientalem partem, Episcoporum Palatium amplissimum, *Wolvesey* dictum, crebris turribus incinctum, rivuloque fere circumfusum, ad moenia pertingit, & in Australi suburbio Collegium elegans è regione prospectat, quod Guilielmus *Vickham* hujus Episcopus, maximus inter Anglos bonarum literarum pater & patronus, cuius laus omni seculorum memoria literarum monumentis inveteraset, in scholam construxit, & dicavit, è qua felicissimus est doctissimorum in Rempub. & ecclesiam proventus. In hoc enim *Guardianus*, Socii x, scholarchæ duo, & Scholastici 70, aliqui nonnulli honestissime aluntur. Alia etiam eximia erant in hac urbe ædificia, (fuerunt enim plurima religioni consecrata) quæ cum tempus expugnarit, memorare non libet, Parthenonem tamen illam, sive virginum Monasterium quod Ælfwida Ælfredi Regis uxor posuit, præterire nolo, cum longe celeberrimum fuerit, ut reliquiæ jam ostendunt, & ex hoc Matildem Malcolmi Scotorum regis filiam sibi in uxorem acceperit Henricus Primus, per quam veterum Anglorum stirps regia Normannicæ coaluit, & ille à populo Anglolico plurimum gratiæ initivit. Illa enim Regis Edmundi *Ferrei lateris* ex filio Edwardo *Exule* proneptis: mulier cum cæteris virtutibus, quæ quidem dignæ regina effent, ornata omnibus; tum veræ pietatis incredibili studio flagrans. Vnde in ejus laudem versus est *Tetraстиchon*,

*Prospéra non letam fecere, nec aspera tristem,
Aspera risus ei, prospéra terror erant.*

Hide Ab-
batia.

Colle-
gium
Wichami-
cum.
Guilielm.
Wickha-
mus.

S. Mariæ
Abbey.

Matildis
uxor Hen-
rici primi.

Non decor efficit fragilem, non sceptra superbam;
Sola potens humilis, sola pudica decens.

De Guidone Warwicensi fabellis decantato, qui singulari certamine Colbrandum illum Danicum Typhoëum hic devicit, de Waltheofo Huntingdonæ Comite hic capite truncato, ubi postea Capella fuit S. Ægidii, & egregio illo sanctæ Crucis Hospitali adjuncto, ab Henrico Blesensi Regis Stephani fratre, hujus urbis Episcopo fundato, & Henrico de *Beaufort* Cardinale adiuncto, non est cur aliquid dicam, cum ex historiis sint omnibus pervulgatissima.

Quod ad Wintoniæ Comites spectat, ut tacitum Clitonem Saxonem à Normannis avito honore exturbatum, Joannes Rex Saerum *Quincay* Wintoniæ Comitem dixit, qui usus est pro insignibus baltheo militari, *Fessæ* vocant, cum ^{*} lemnis septemplici, ut in sigillo vidimus. Illi succedit Rogerus filius, qui septem ^{*} Rhombos aureos rubro in scuto gestavit. Sed in illo honor evanuit, cum sine liberis masculis diem obiisset. Duxit enim filiam natu maximam Alani Domini Gallovidiæ in Scotia ex uxore priore, & alteram heredem, cujus jure fuit Constabularius Scotiæ. Sed ex illa tres tantum filiæ natæ; prima Guilielmo de *Ferrariis* Comiti Derbyæ, altera Alano de *la Zouch*, tertia Comino Buchaniæ in Scotia Comiti enupta. Longo inde tempore interlamente, Hugo Le *Despencer* eo titulo à Rege Edwardo Secundo tantum ad vitam donatus, & ab eo unice dilectus, sero cum filio sensit, qualia sint præmia regiæ gratiæ: uterque enim à populo furente morte atrocissima mulctatus. Satis longo deinde intervallo Edwardi III beneficentia Ludovicus Brugensis Belga Baro de *Gruthuse* & Princeps *Steinhufi*, qui eum patria profugum in Belgio soverat, hunc titulum cum insignibus Rogeri *Quincay* non dissimilibus accepit, quem, defuncto Edwardo, Henrico VII in manus reddidit. Nostra vero memoria Guilielmum *Powlett*, Angliae Thesaurarium novo Marchionis Wintoniæ titulo honoravit Edwardus Sextus, quo etiam ejus posteri nunc fruuntur. Venta hujus longitudinem part. *xxii*, Latitudinem *51* grad. esse superioris ætatis observationes docuerunt.

A Venta magis ad Ortum, *Homble* fluvius vasto ore in Oceanum profunditur, *Homelea* Bedæ dicitur, qui, ut habet ille, per terras Iutarum Solente intrat, sic enim illi vocatur fretum, quod Solente. Vectam insulam, & Britanniam interluit, in quo statim horis æstus reciprocatio utrinque ex Oceano magna violentia irrumpens, & occursans, tantam admirationem antiquis illis fecit, ut in miraculorum Britanniæ numerum retulerint. De quo en tibi ipsa Bedæ verba, *Bini æstus Oceani*, qui circum Britanniæ ex infinito Oceano Septentrionali erumpunt, sibimet invicem quotidie compugnantes occurunt, ultra ostium fluminis *Homelea*, finitoque confictu in Oceanum refusi, unde venerant, redeunt. In hoc fretum etiam evolvitur fluviolus qui prope *VVanford* ortus transit inter *Forrestas* de *Valtham*, ubi ædes sunt amplæ Episcopi Wintoniensis, & de *Bere*, per *Tichfield* quondam Monasteriolum à *Petrichfield*, de *Rupibus* Episcopo Wintoniensi positum, nunc primariam sedem *Writheosleorum* Southantonæ Comitum. Inde flexuoso anfractu stan-

Comites
Winto-
niae.
Insignia
Quincio-
rum.
^{*} A Lable
of 7.
^{*} Mascles
voided.